



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Corpus Juris Canonici

Gregor <XIII., Papst>

Coloniae Munatianæ, 1665

IX. De Mutuis petitionibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62915](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62915)

DE MUTUIS PETITIONIBVS. TITVLVS IX.

Si reu conuentus nolit, vel non possit excipere, si habeat unde aliter reconueniat, potest illum reconuenire. h. d.

Itur oblato ab actore libello, si reus conuentus nullus sit exceptione munitus, quæ vel iudicium differat, vel litis ingressum impediatur, mutuis petitionibus aduersarium suum fatigare poterit: & agentem coram eodem iudice, antequam litem contestetur, reum constituere. Cujus enim quis a in agendo obseruat arbitrium, eundem habere contra se iudicem in eodem negotio designari non debet. Proposita ergo actoris intentione & responsione facta super quæstionibus rei monitione præmissa, incontinenti actor respondere compellendus erit, ut vicissim postea rationes partium iudex audiens, concordia, vel iudicio utriusque negotium terminet.

Eiam coram iudice delegato potest reus actorem reconuenire. h. d.

Nec solum coram Ordinario reconuenit talis sibi locum vendicat, verum b etiam coram delegato: unde nisi reus lites impetrate maluerit, actorem sibi obnoxium eodem durante iudicio coram datis iudicibus reconuenire poterit.

Actori & rei reconuentis aequalis debet esse conditio in iudicio. h. d.

Vt inique autem, tam actoris, quam rei reconuenientis quæ debet esse conditio: unde eum cum causa appellatione remota committitur, si reus actorem reconuenit, uno eodemque iure circa appellationis remedium uterque censendus erit.

Coram arbitrio non habet locum reconuenitio. h. d.

Est arbitrii subitari poterit, an coram eis reconuentio locus esse possit d? & cum arbitrii iudicare non possint, nisi de his tantum, super quibus in eos commissum fuit, responsum est, coram eis reconuenitionem locum habere non posse.

Reus conuentus coram iudice laico, non potest reconuenire actorem super causa spirituali. h. d.

Necdum etiam accidit, ut nec coram ordinario, nec coram delegato iudice reo actorem reconuenire sit potestas, ut puta si coram iudice laico conuentus, actorem super causa juris patronatus, decimarum, matrimonii, aut alia spirituali reconuenire velit.

Excommunicatus non potest reconuenire. h. d.

Idem e iuris est, si conuentus excommunicationis vinculo innodatus existat. Huic enim, licet alioqui excipiendi facultas minime sit interdicta, actorem tamen reconuenire non conceditur, ne quod (ut supra diximus) in defensionis remedium sustinetur, ad impugnacionis materiam extendatur.

Super causa criminali non admittitur reconuenitio: idem in causa depositi. h. d.

Illis quoque, qui coram iudice criminaliter conuenti fuerint s, vel super deposito, nisi se prius innocentes probauerint, & depositum restituerint, alios criminandi, vel conueniendi licentia non conceditur.

DE RESTITVTIONE SPOLIATORUM. TITVLVS X.

Intentans spolia non potest reconueniri, nisi super causa spoliati. h. d.

Is quoque, qui se quibusdam rebus, aut iuribus spoliatum conuenit, ab aduersario suo reconueniri non poterit: nam super spoliacione conuentus, aduersus restitutionem petentem non est, nisi super quæ-

a Can. i. s. c. i. j. 2. q. 1. b C. dispensata. de refer. in 6. c C. si. ext. de mut. pet. d C. cum dilectus. ext. de arb. e C. cum inter. in fin. ext. de excep. f C. & 23. q. 11.

sione spoliati, audiendus. Restitutionis enim penio in hoc privilegiata esse noscitur, ut ipsam intentans, non cogatur ante restitutionem spoliatoribus respondere. Unde a cum quis se de beneficii possessione violenter ejectum apud iudicem conuenit, si aduersarius eundem non Canonice dicat institutum, de violenta prius ejectione, quam de Canonica institutione cognoscendum erit.

Spoliatus est ante omnia, & quoad omnia, restituendus. h. d.

Ed est spoliatus non prius coram iudice super spolio sibi illato consistat, sed criminali iudicio ab aduersario laesitatis spoliacionis causam proponat, ita demum super petitione iudex procedere poterit, si prius restitui spoliatum sua sententia iusserit. omnes enim leges tam Ecclesiastica, quam seculares ante omnia cuncta spoliatis, vel ejectis redintegranda b, & damna sarcienda esse præcipiunt: fructus e quoque non tantum à violento possessore perceptos, sed etiam qui à veteri possessore percipi verisimiliter potuissent, restituendi erunt: nec restitutionis solum sententia sufficet, nisi re ipsa omnia iudicis officio restituantur, ita ut ejectus, vel spoliatus etiam naturalem possessionem recipiat, cunctaque, quæ sibi oblata fuerint, eodem, unde surrepta fuerunt, reuocentur.

Quæstio spoliati per modum reconuentiois proposita non impedit processum super alia causa criminaliter institutam. h. d.

Quod si civiliter conuentus aduersario spoliati quæstionem regerat, cum mutua tunc intelligantur petitiones in idem iudicium deductæ, vicissimque tractatæ, unica simul erunt sententia terminanda.

Cum spoliatum proponitur in modum exceptionis, nulla fertur restitutionis sententia: sed quando non fuerit reus restitutus, non est cogendus actor respondere. h. d.

Ed hæc quidem obtinet, cum in modum actionis spoliati quæstio proponitur: sed si circa litis contestacionem de spolio quis excipiendum duxerit, super ipsa eadem exceptione probationes primitiis recipiendæ erunt: ea tamen legitime probata, nulla restitutionis erit ferenda sententia, sed tam diu spoliatori super petitionibus suis respondere cogendus non erit d, donec ab ipso restitutus fuerit. Quemadmodum enim, si in modum exceptionis aliquod crimen testi obijcit e ut à testimonio repellatur, et si crimen contra eum civiliter probatum fuerit, sibi poena non infligitur ordinaria, sed ejus duntaxat testimonio non creditur: sic spoliacione in modum exceptionis tantum probata, restitutionis sententia minime ferenda erit.

Tribus casibus privatus à iudice dicitur spoliatus, si non seruauit iuris ordinem, si nulliter promouerit, si erat iudex incompetens. h. d.

Spoliatus autem non solum is intelligitur, qui à privato quocunque homine rerum quarundam possessione indebite privatus fuit: sed etiam f ille, quem iudex ipse juris ordine prætermisso, beneficio, vel aliis rebus carere coegit: vel is, qui licet juris quidem ordinem seruauerit, spoliatus tamen, & de facto damnatus iudex erat incompetens: vel, si iudex sit competens, circa privacionem tamen nulliter pronunciauit.

Spoliatus est et intelligitur, qui mandauit spoliari, aut spoliatum suo nomine factum ratum habuit, vel spoliatori successit in verum. h. d.

Is quoque spoliatus intelligitur, qui licet ipse non spoliatus fuerit, per alium tamen spoliari mandauerit g, aut spoliatum suo patratum nomine ratum habuerit: unde & is restitutioni obligabitur, quemadmodum h & ille, qui rem indebite occupatam, scienter recipiendo spolia-

a C. in literis tuis. ex. eo. 11. b C. redintegranda. 3. q. 1. c C. gravis. ext. eo. 11. d C. si. ext. de ord. cogn. e C. i. ext. de except. f C. conueniente. ext. eod. 11. g C. notum. ubi gl. 12. q. 1. & c. cum ad secundum. in fi. ubi gl. ex. eo. h C. sapi. conuenit. ext. eod.



UNIVERSITÄTS- BIBLIOTHEK PADERBORN